



1596

11



DISPUTATIONVM PHYSIO
LOGICARVM OCTAVA.

DE HVMANI
CORPORIS, EIVSQUE PAR-
TIVM, ACTIONIBVS,

Quam

D. F. E. A.

Præside

CLARISSIMO ATQVE DO-
CTISSIMO, DN. CORNELIO
BOKELIO, Philosophiæ &
Medicinæ Doctore:

defendet

ELIAS BONVINVS, Vratisl. Phil. &
Medic. Studiosus.

*Habebitur Disputatio 9. Calend. Ianuarij hora
locoque, consuetis.*

HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Ann. 96.



DE ACTIONIBVS CORPORIS HV- MANI EIVSQUE PARTIVM.

Thesis prima.



facultatibus tanquam à proprijs suis cauffis
ipfæ actiones proximè dependent, quare vt
de ijs iam agamus ratio instituti nostri nos
monere videtur.

II.

Harum vero consideratio & cognitio,
quantum iuuamenti & utilitatis medico practico conferat,
etiam parùm saltem in arte medica versatus facilè perspi-
ciet, cum ex his vel maxime tum sani tum ægri corporis
constitutionem indaget, tum in loci adfecti cognitionem
deducatur.

III.

Actionis itaq; seu operationis vocabulum, alias latè &
minus propriè accipitur, alias propriè & magis contractè.

IV.

Impropriè seu latè accepta actio dicitur quodlibet sal-
tem iuuamentum, quod membrum seu pars aliqua in cor-
pore præstat siue substantiâ siue compositione, quòd cra-
nium muniat & defendat cerebrum ab iniurijs externis,
venæ transmittant sanguinè, arteriæ spiritum vitalem &c.

V.

Propriè vero actio Græcis *ἐνεργεία* dicta motus actiuus
dicitur, à propria quadam facultate seu virtute dimanans &
opus complens.

VI.

Completam deniq; actionem siue incompletam naturæ
opus appellare non impedit, non tamen econtrà opus in-
completam actionem indigitare, cum hæc in fieri, illud iam
factum & completum à facultate existat.

A 2

Hinc

VII.

Hinc tot posse corporis eiusq; partium actines constitui, quot earum sunt facultates, in confesio est.

VIII.

Porrò actiones aliæ dicuntur simplices, aliæ compositæ.

IX.

Simplices dicuntur quæ ab vnâ aliquâ virtute dimanant, vt attractio cibi, retentio vrinæ &c. compositæ quæ à pluribus & diuersis: vt concoctio, sanguificatio &c.

X.

Compositarum aliæ à diuersis facultatibus dimanant, vnus tamen generis: vt separatio humorum in sanguine, quæ partim ab expulsua Epatis facultate, partim ab attractiua aliorum membrorum, vt in separatione atræ bilis, à lienis, in flauæ à folliculi fellis facultate, vtrâque tamen naturali prouenit.

XI.

Quædam vero à diuersis facultatibus diuersorum generum perficiuntur, vt deglutitio cibi quæ partim ab attractiua naturali seu appetentia, partim ab animali motiua, quæ lacertis seu musculis membri inest, perficitur.

XII.

Actionum aliæ sunt naturales, aliæ præter naturales, aliæ voluntariæ, aliæ mixtæ.

XIII.

Naturales quæ naturali facultate iusto & legitimo modo operante ad certum corporis vsum productæ sunt, vt coctio, motus pulsatilis &c.

XIV.

Præter naturales quæ à natura vel læsa vel corrupta aut impeditâ, imperfectæ aut corruptæ eduntur, vt Epilepsia tetanos &c.

Volun-

XV.

Voluntariæ dicuntur quæ etsi à natura eâq; legitimè & dextrè operante ortum habeat arbitrio tamen & voluntate hominis ad tempus aliquod suspendi vel intermitti plane possunt: vt ambulatio, & motus alij locales.

XVI.

Mixtæ dicuntur quæ etsi quodammodo suspendi arbitrio hominis ad tempus posse videntur, id diutius tamen sine corporis & naturæ læsione fieri non potest vt respiratio excretio fæcum &c.

XVII.

Naturalium tres species constituuntur: Animalis, vitalis, & naturalis propriè sic dicta.

XVIII.

Naturalis corporis nostri actio à facultate naturali profecta: est motus quo tum vniuersum tum singulæ eius partes viuunt nutrimento familiari attracto sibi que agglutinato augentur, & ex sese vicissim simile sibi quoddam gignunt & procreant.

XIX.

Actiones naturales aliæ dicuntur ministratæ, aliæ ministrantes.

XX.

Ministratæ dicuntur quæ alijs ad operationem simul concurrentibus perficiuntur: & sunt generatio, auctio, & nutritio.

XXI.

Ministrantes dicuntur quæ quidem per se à propria facultate editæ dependent, ad aliarum perfectionem tamen concurrunt.

XXII.

Generatio est motus actiuus, quo ex semine vtriusq; parentis, & sanguinis menstrui longâ tum immutatione tum formatione nouum animal priori naturâ simile producitur & generatur.

XXIII.

Huic inseruiunt immutatio, & formatio.

XXIV.

Immutatio motus actiuus dicitur, qui in generatione tum semen tum sanguinem menstruum, ad certas formas concipiendas, tum primis tum secundis qualitatibus immutat, & alterat.

XXV.

Formatio est motus actiuus, quo singula corporis nostri partes & vniuersum ipsum idoneam, tum figura, situ, cauitate, & structurâ, constitutionem & essentiam adipiscuntur.

XXVI.

Auctio est motus actiuus, quo corpus à facultate generatrice productum increfcit, & secundum tres sui dimensiones extenditur & auctius redditur.

XXVII.

Nutritio est motus actiuus, quo corpus & singulæ eius partes alimentum familiare attractum & alteratum sibi assimilant, & in sui substantiam conuertunt.

XXVIII.

Attractio est motus actiuus, quo singulæ corporis partes alimentum sibi familiare in sui sustentationem, tum insita vi. tum fibrarum rectarum beneficio appetunt & trahunt.

XXIX.

Retentio est motus actiuus, quo partes alimentum attractum tum propria insita vi. tum fibrarum obliquarum beneficio tam diu retinet, vt vel penitus concoquatur, vel à natura reijciatur.

XXX.

Concoctio est motus actiuus, quo res in corpus assumptæ, beneficio caloris natiui perfectè alterantur & transmuntantur, inutili eius materia reiecta, utili vero in alimentum corporis reseruatâ.

XXXI.

Tales tres reperiuntur in corpore humano: prima inchoata in ore, absoluitur in ventriculo & *χύλωσις* dicitur: secunda inchoata in venis meseraicis absoluitur in Epate, &

αίμα-

εισαγωγος dicitur: tertia in reliquis venis inchoata in singu-
lis partibus perficitur certo nomine carens.

XXXII.

Expulsio est motus actiuus, quo tum in fita vi propria
tum fibrarum transuersarum beneficio, qualibet pars id
quod ipsum vel quantitate vel qualitate molestat, excernit,
inutile quidem extra corpus, vtile vero in propria ad cer-
tos vsus receptacula, talesque excretiones in singulis dictis
coctionibus notare & obseruare licet.

XXXIII.

Vitalis actio siue ipsa vita cordis, actio seu motus dici-
tur quo tum ipsum tum caeterae partes vitam agunt: suntq;
hi duplices: alter pulsus alter adfectus dicitur.

XXXIV.

Pulsus est actio cordis qua inspiratione & respiratione
per systolen & diastolen spiritus vitalis in singulas partes
destruditur.

XXXV.

Adfectus est motus cordis quo ipsum pro obiecti diuersi
oblati ratione diuersimode adficitur: ad bonumque prose-
quendum malumq; fugiendum seu vlciscendum insurgit.

XXXVI.

Animalis actio duplex est: locomotiua & sentiens.

XXXVII.

Locomotiua actio motus corporis dicitur, quo vel to-
tum vel pars aliqua, extensis vel contractis neruis, musculif-
que adiuuantibus, de loco in locum pro libitu mouetur.

XXXVIII.

Sentiens duplex est: alia exterior alia interior.

XXXIX.

Exterior est motus quo spiritus animalis ad partes ex-
teriores delatus externa obiecta excipit: horum quinque
sunt: visus, auditus, gustus, olfactus & tactus.

Visus

XL.

Visus oculi actio est, qua lucem rerumque colores tanquam obiecta propria per medium aliquod pellucidum percipit.

XLI.

Auditus auris actio est, qua sonum concussione & refractione aëris ad interiorum eius membranam excitatum percipit.

XLII.

Gustus linguæ palatusq; actio est, qua saporum rerum oblatarum percipit.

XLIII.

Olfactus, narium, ossis imprimis eius *in mucosâ* dicti membranae actio dicitur, qua rerum oblatos odores percipit.

XLIV.

Tactus cutis proprie actio est, qua qualitates tactiles tum primas tum secundas apprehendit & percipit.

XLV.

Interiores tres sunt: imaginatio, ratiocinatio, & memoria.

XLVI.

Imaginatio est actio quæ oblatas rerum imagines mente apprehendit, ipsiq; infigit.

XLVII.

Ratiocinatio est actio cerebri, qua mens tum rerum obiecta & imagines sibi oblatas dijudicat & discernit.

XLVIII.

Memoria est actio, qua mens sibi oblata obiecta infigit & referuat, & vsus tempore vicissim depromit.

F I N I S.

ULB Halle
003 338 150


3




TA-OL

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13



1596, 1

11

DISPUTATIONVM PHYSIO
LOGICARVM OCTAVA.

DE HVMANI
CORPORIS, EIVSQUE PAR-
TIVM, ACTIONIBVS,

Quam
D. F. E. A.

Præfide
CLARISSIMO ATQVE DO-
CTISSIMO, DN. CORNELIO
BOKELIO, Philosophiæ &
Medicinæ Doctore:

defendet
ELIAS BONVINIVS, Vratisl. Phil. &
Medic. Studiosus.

Habebitur Disputatio 9. Calend. Ianuarij hora
locoque, consuetis.

HELMÆSTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Ann. 96.

